**2852** basis marmorea a tergo excavata alta metr. 1,10 litteris cm. $1^1/_2$. Praeneste rep. apud templum Fortunae primigeniae IVC.; similiter, sed addit ʿrefossis ruderibus a d. Marco Barbo card. Sancti Marciʾ [significatur Barbus ex cardinale S. Marci factus episcopus Praenestinus anno 1478, mortuus a. 1496] PEVT. (Mon.); carmina ex ruinis templi Fortunae eruta SIED. OLIV.; Praeneste apud templum Fortunae RED. Praeneste quo nunc Palestrina in atrio maioris ecclesiae ubi fuit templum Fortunae ut ex primis apparet BVD., in templo Fortunae nunc palatio ducis MET. (Vat. 6040), Praeneste in palatio episcopi SMET., in aedibus episcopi PIGH. (ms.); in area palatii pontificii PIGH. (Herc. Prod.), *nella canonica* COL.; in palatio principis SVAR. Extat Praeneste in hortis Barberinis. — S. l. SAB. RAYNER. Romae in hortis Iulii III BOISS. (Holm. 96′ et ed.); in palatio Conservatorum BOISS. (Holm. 97). Reate BOISS. (Paris p. 687). ʿHostiaeʾ praec. ap. FERRAR.

spicarum manipulus — modii spicis pleni duo — spicarum manipulus

TV QVAE · TARPEIO COLERIS · VICINA · TONANTI
VOTORVM · VINDEX · SEMPER · FORTVNA · MEORVM
ACCIPE · QVAE · PIETAS · PONIT · TIBI · DONA · MERENTI
EFFIGIEM · NOSTRI · CONSERVATVRA · PARENTIS
5 CVIVS NE · TACEAT · MEMORANDVM · LITTERA · NOMEN
CAESIVS · HIC · IDEMQ TITVS · PRIMVSQ · VOCATVR
QVI · LARGAE CERERIS · MESSES · FRVCTVSQ RENATOS
DIGERIT · IN PRETIVM · CVI · CONSTAT · FAMA · FIDESQ
ET · QVI · DIVITIAS · VINCIT · PVDOR · IRE · PER · ILLOS
10 CONSVETVS · PORTVS · CVRA · STVDIOQ LABORIS
LITOR · QVI PRAESTANT FESSIS · TVTISSIMA · NAVTIS
NOTVS · IN VRBE · SACRA · NOTVS · QVOQ FINIBVS · ILLIS
QVOS · VMBER SVLCARE · SOLET · QVOS · TVSCVS · ARATOR
OMNIBVS · HIC · ANNIS VOTORVM · MORE · SVORVM
15 CENTENAS · ADICIT · NVMERO CRESCENTE CORONAS
FORTVNAE · SIMVLACRA COLENS ET · APOLLINIS · ARAS
ARCANVMQ · IOVEM QVORVM CONSENTIT · IN · ILLO
MAIESTAS · LONGAE PROMITTENS · TEMPORA · VITAE
ACCIPE POSTERITAS QVOD PER TVA · SAECVLA NARRES
20 TAVRINVS KARI · IVSSVS PIETATE PARENTIS
HOC · POSVIT DONVM QVOD NEC SENTENTIA MORTIS
VINCERE NEC POTERIT FATORVM SVMMA POTESTAS
SED POPVLI · SALVO · SEMPER · RVMORE MANEBIT

*in latere intuenti dextro:*

L · CEION | i | D·C | O N | I | M
s EX · VETVL | e N | NIC | · C | I | VI | I — sic
POM | P | E I | A N | C | D C — a. 136
LOC | | D· | D | | D

Descripsit de Rossi, recognovi ipse post Mommsenum. Habent primi Redianus f. 48; Ferrarinus Reg. f. 124′; P. Sabinus Ott. f. 112′; Iucundus rec. 3 cod. Magl. 28, 34 f. 39, cod. Cicognae f. 152′; cod. Neap. XIVD 8 f. 26; Sieder Mut. f. 60; codex Olivae f. 77′; Mazochi f. 7; Peutinger Monac. 24 f. 15, Aug. 526 f. 124, Aug. 527 f. 71; Rayner Marucell. A 78, 2 f. 29; Alciatus Feae f. 79/80; Apianus p. 192, 1 (inde Leander Alberti *descrittione di tutta l' Italia* ed. Venet. 1577 f. 153; Manutius orth. ed. 1561 f. 31; Boissard ms. Holm. f. 96′ et f. 97, ms. Paris. p. 418, hic solos vv. 1—8, et p. 687, ed. 6, 81; item ex Apiano sed hic illic coniectura correctam Scaliger catalect. p. 222, ed. 1617; ex hoc pendet Pithoeus epigramm. vet. p. 122). Ex lapide Budaeus apud Pingonium f. 83; Metellus correxit ad Mazochium suum nunc Vaticanum ex exemplis Budaei et Smetii, ubi dicit se ipsum quoque vidisse sed festinantem; ipsius Metelli autographum reperitur cod. Vat. 6040 f. 43; Smetius ms. Neap. p. 103 (inde Manutius orth. ed. 1566 p. 8, 1, sed conlatam cum archetypo ab H. Antonio Coronato, cuius extat de hac re epistula data ad Manutium Praeneste d. VI Cal. Mai 1564 in codice olim Manutii nunc Vat. 5237 f. 322/3), ed. 30, 11; Ligorius Neap. lib. 35 p. 210, ubi postea ipse Ligorius duobus locis varias lectiones Smetii adscripsit, Taur. vol. 14; Pighius cod. Luz. p. 79, cod. musei f. 28, Hercul. Prodic. p. 525 (inde Schottus itinerar. Ital. ed. 1600 p. 425); Waelscapple f. 56; Columna ms. p. 163; Fonteius de gente Caesia p. 111; Anonymus Barberinianus f. 245; Suaresius Praen. p. 40; Pennazza ms.; Vulpi Lat. 9 p. 120; Cecconi p. 178; Petrini p. 298 n. 13. Gruter 72, 5. Burmann anthol. lib. 1 p. 80 (tom. I p. 58), qui praeter libros editos praesto habuit etiam Pighium ms. et excerpta ex codice aliquo Caroli Moroni facta a N. Heinsio, qui videtur pendere ex Ferrarino.

Frontis inscriptio exceptis punctis tota certa est; male Smetius v. 3 DONAT (pro PONIT), 8 PRECIVM, 17 in. AEGERIVMQ·, 19 POST (pro PER); eadem menda (excepto DONAT v. 3) reperiuntur etiam apud Pighium; Ligorius quoque in libro Neapolitano ad veram lectionem v. 3 et 17 errores Smetianos adscripsit. — Lineolae, quibus hic illic litterae nonnullae circumdatae sunt, velut v. 1 T[ARP]EIO, 5 CVI[VS·NE·TA]CEAT, 16 COLE[NS E]T·APOLLINIS — enotaverunt eas ante me Metellus in exemplo autographo (Vat. 6040) et Columna —, noviciae mihi videntur.

In inscriptione lateris impediverunt quadratarium nescio quae rugae vel sulci inscriptione antiquiores; unde litterae ex parte evaserunt dimidiatae quales vides. Vv. 1. et 3 non videntur esse finiti, v. 2 fin. est CIVII (CIVIIA Col.). Omiserunt inscriptionem lateris omnes praeter Columnam Cecconium Petrinium.

*Tu, quae Tarpeio coleris vicina Tonanti,*
*votorum vindex semper, Fortuna, meorum,*
*accipe, quae pietas ponit tibi, dona, merenti,*
*effigiem nostri conservatura parentis.*
5 *Cuius ne taceat memorandum littera nomen,*
*Caesius hic idemq(ue) Titus Primusq(ue) vocatur:*
*qui largae Cereris messes fructusq(ue) renatos*
*digerit in pretium; cui constat fama fidesq(ue)*
*et, qui divitias vincit, pudor; ire per illos*
10 *consuetus portus cura studioq(ue) laboris,*
*litor(a) qui praestant fessis tutissima nautis;*
*notus in urbe sacra; notus quoq(ue) finibus illis,*
*quos Umber sulcare solet, quos Tuscus arator.*
*Omnibus hic annis votorum more suorum*
15 *centenas adicit numero crescente coronas,*
*Fortunae simulacra colens et Apollinis aras*
*Arcanumq(ue) Iovem, quorum consentit in illo*
*maiestas, longae promittens tempore vitae.*
*Accipe, posteritas, quod per tua saecula narres:*
20 *Taurinus, kari iussus pietate parentis,*
*hoc posuit donum, quod nec sententia mortis*
*vincere nec poterit fatorum summa potestas,*
*sed, populi salvo semper rumore, manebit.*

*L. Ceion[i]o Comm[odo S]ex. Vetul[e]nio Civi[ca] Pompeiano c[os.] Loc(us) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).*

Statuam (vv. 3. 4: *dona conservatura effigiem*) T. Caesii Primi (v. 6) mercatoris frumentarii (v. 7—13; eodem pertinent spicae in summa basi repraesentatae) Fortunae dicavit hoc carmine Caesius Taurinus filius iussus a patre (v. 20). — V. 1 significatur aedes Fortunae Primigeniae sita Romae in Capitolio, quam praeterea memorat solus Plutarchus de fortuna Roman. c. 17. — Ex vv. 16. 17 discimus Praeneste una cum Fortuna coli solitos esse Apollinem et Iovem cognomine Arcanum. Apollini dicatam inscriptionem habemus supra n. 2848; de Iove Arcano cf. ad n. 2972.